

reservare solent specialem approbationem pro Monialibus, ut constat ex litteris quibus approbatio confertur; in iis enim dicitur: *exceptis Monialibus, aut, etiam Monialibus non exceptis.*

2° Quoad Moniales clausuræ non subjectas, hæ severæ prohibitioni non subjacent. Episcopi tamen statuere possunt, ut etiam pro talibus audiendis specialis approbatio obtinenda sit. *Gousset, n. 480. — Bouverier, etc.*

575. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1° COSMAS omnes præfatas Moniales absolvere potuisset ex dictis, quia, dum extra Monasterium degebant, in prohibitione non continebantur.

2° MANLIUS attendere debet ad litteras quibus delegatio ad confessiones audiendas ipsi concessa fuit, vel ad diœcesis consuetudinem, cum ex dictis pro Monialibus clausuræ non subjectis, aut vota simplicia tantum emittentibus, omnia a voluntate Episcoporum pendeant; sed mirarer, si in his litteris non legeret hæc verba: *exceptis Monialibus*

## CASUS

## DE CASIBUS RESERVATIS

## SEU

*De efficacia et subjecto reservationis; de reservatione dubia; de absolute a reservatis; de absolute complicitis; de sollicitatione ad turpia.*

## CASUS I.

## RESERVATIONIS EFFICACIA.

OLIVARIUS, peccato reservato cum censura episcopali inquinatus, sed reservationis ignarus, vere contritus et optima fide confitetur penes SABELLUM, Sacerdotem pro reservatis non approbatum. Confessarius vero, sive ex ignorantia, sive ex inadvertentia eum absolvit, nec ad errorem attendit, nisi cum pœnitens jam longe abierit. Quare hæret anceps, nesciens quid sibi faciendum sit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An pœnitens bona fide reservatum simplici Confessario accusans valide absolvatur, sive hic attendat ad reservationem, sive non attendat?*
- 2° *An remittatur tunc peccatum reservatum, et quomodo, atque utrum pœnitens ab obligatione illud denuo confitendi liberetur?*
- 3° *An reservationi subjaceat ille qui peccando eam ignoravit, et quid, si reservationi etiam censura adnectatur?*
- 4° *Quid, reservatione post confessionem cognita, pœnitenti vel Confessario faciendum?*

SOLUTIO :

576. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Pœnitens valide absolvitur, si præter peccatum reservatum clavibus subjiciat aliam materiam non reservatam, in quam absolutio *directe* cadere possit. Adsunt enim omnia requisita ad Sacramenti validitatem, scilicet materia idonea, dispositio pœnitentis, et absolutio Sacerdotis. Nec obstat si Confessarius, ad reservationem attendens, nihilominus absolvat; peccatum enim Confessarii indebite a peccato reservato absolventis, validitati Sacramenti officere nequit, cum præter peccatum reservatum alia adsit materia, a qua *directe* absolvere potest (1).

(1) In pluribus Statutis synodalibus, jurisdictio confertur Confessario in favorem pœnitentis in bona fide versantis; et si Confessarius mala fide absolvat, censura plectitur.

577. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Peccatum reservatum cum aliis Confessario simplici accusatum remittitur *indirecte*, seu consequenter ad remissionem aliorum peccatorum. Etenim, cæteris peccatis vi clavium remissis, necessarium peccatum reservatum simul remitti debet, siquidem pœnitens bene dispositus cum Deo reconciliatur. 2<sup>o</sup> Si pœnitens postea resciat se indirecte tantum a peccato reservato absolutum esse, illud alteri Confessario pro reservatis approbato iterum confiteri tenetur, ut directe clavibus subjiciatur. *V. Comp. n. 578.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Subjacet nihilominus reservationi, juxta communem Theologorum sententiam, illi qui peccando ignoravit peccatum esse reservatum; quia reservatio directe afficit approbationem Confessarii, quam restringit et limitat. 2<sup>o</sup> Si censura autem adnexa sit peccato reservato, illa ignorata, non incurritur, quia censura personam peccantis directe afficit. *V. Comp. n. 570-571.*

578. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Quoad pœnitentem: si postea sciat se a SABELLO absolvi non potuisse, alium Confessarium adeat majori facultate gaudentem, et peccatum reservatum illi aperiat; vel roget Confessarium ordinarium ut petat veniam, vi cujus ab eo absolvere queat. 2<sup>o</sup> Quoad Confessarium: admoneat pœnitentem de errore commisso, si fieri facile possit, v. g. si hic redeat ad confitendum, ut error ille reparetur; vel melius festim petat ab Episcopo facultatem ab illo peccato reservato absolvendi et curet ut pœnitens confitendi gratia iterum accedat, et, obtenta prudenter nova declaratione hujus peccati, eum etiam de errore non monitum absolvat. Quod si pœnitentem neque facile admonere, neque absolvere possit, eum in bona fide relinquat. *Pontas, verbo Cas réservés, eas. 24.*

## CASUS II.

RESERVATIONIS SUBJECTUM 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> LAURIANUS, iter agens extra diœcesim suam, penes JUSTINUM Parochum confitetur peccatum incestus, cum consanguinea in secundo gradu patratum. Illico JUSTINUS eum monet peccatum illud esse reservatum, seque carere facultate absolvendi a reservatis. — Respondet LAURIANUS, rerum moralium non omnino ignarus, peccatum istud in sua diœcesi non esse reservatum, ut probe novit. « At, subjungit, Parochus, reservatum est hic ubi modo confiteris. — Quid ad me? ait pœnitens; non hic ego, sed alibi peccavi: porro reservatum non commisi. — Perge igitur, mi » bone, perge ad confitendum eo ubi peccasti; ego autem absolvere te « non possum. »

2<sup>o</sup> JACOBUS, peccato reservato ligatus, tendit ad vicinam parochiam, extra diœcesis limites, confitendi gratia. Ad hoc autem agendum duplici motivo inducitur, nempe: 1<sup>o</sup> ad vitandam verecundiam quam haberet tam grave peccatum Parocho suo aperiendi; 2<sup>o</sup> spe facilius absolutionem impetrandi: novit enim peccatum istud in vicina diœcesi minime esse reservatum.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An possit quis absolvi a peccato non reservato in sua diœcesi, ubi fuit patratum, a simplici Confessario in alia diœcesi ubi reservatur?*

2<sup>o</sup> *An possit quis absolvi a peccato reservato in ipsius diœcesi, sed non reservato in loco confessionis?*

3<sup>o</sup> *Si quis ligatus reservatione pergat in fraudem legis ad alium locum ubi non existit reservatio, an valide absolvatur?*

SOLUTIO:

579. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Neg.*, juxta sententiam communem. Ratio est, quia reservatio *directe* et *immediate* afficit personam Confessarii, cujus potestatem restringit, et *mediate* tantum pœnitentem. Proinde pertinet ad Confessarium scire an facultate gaudeat absolvendi a tali peccato, vel non gaudeat, minime habita ratione loci in quo peccatum fuit commissum. *S. Lig. n. 581, et alii communiter.*

580. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Absolvi potest a Regularibus, ut aperte declaratur in Constit. *Superna Clem. X.*

2<sup>o</sup> Quoad Confessarios sæculares, stante communi consuetudine, quæ ubique jam recepta, et universali Ecclesiæ praxi firmata, vim legis obtinet, dicendum est ab ipsis hujusmodi peregrinum valide ac licite etiam absolvi. Excipe in utroque casu, nisi quis ex propria diœcesi alio in fraudem reservationis se contulerit, uti in responsione ad 3<sup>m</sup> Quæst. dicitur.

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Neg.*, si alio tendat præcise in fraudem reservationis, ex Bulla *Superna Clem. X.* Sed fraus haberi tantum censetur quando quis alienam diœcesim petit ob principalem finem declinandi iudicium proprii Pastoris. *S. Lig. n. 589. — V. Comp. n. 583.*

## CASUS III.

RESERVATIONIS SUBJECTUM 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> EPIMACHUS, Religiosus, dæmone impellente, peccatum lethale patrat, reservatum quidem Episcopo in diœcesi, minime vero in Ordine suo. Sincero dolore correptus, adit Confessarium ordinarium Communitatis, facultate pro reservatis carentem, eique conscientiam candide pandit, et ab eo absolvitur. Alias, cum in eundem casum incidisset, Sacerdoti sæculari Confessario simplici confitetur, et absolutione donatur.

2<sup>o</sup> HERIBERTUS, Confessarius Monialium, a jurisdictione Episcopi exemptarum, licet facultate ad absolvendum a casibus reservatis careat, nihilominus, si quando occurrant peccata quæ Ordinario sint reservata, ab iis absolvit, quia existimat pœnitentes suas non esse reservationi episcopali obnoxias.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Regulares exempti reservationi episcopali subiaceant?*  
 2<sup>o</sup> *An Moniales exemptæ incurrant casus episcopales?*  
 3<sup>o</sup> *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

581. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Neg.*, quia Regulares ex privilegio sunt exempti a jurisdictione episcopali; proinde, si Episcopo non subjacent, neque ejus casibus aut censuris ligari possunt. Constat ex *Jure canonico, c. Ne aliqui, de Priv. in 6<sup>o</sup>*. Eruitur etiam ex Bulla *Clem. X, Superna*. Imo neque Novitii, neque familiares Regularium reservationi Episcoporum subjacent. Sic ex eadem Bulla *Superna*. Si vero Novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum in Religionem, a Confessario Religionis absolvi poterit, ex privilegio. *S. Lig. n. 583, et de Censuris, n. 26. — V. Comp. de Censuris, n. 949.*

582. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Controvertitur*. Duplex datur sententia probabilis, ait *S. Lig. n. 602, Quæs. 6. alii affirmant*, quia Confessarii Monialium omnino approbandi sunt ab Episcopo loci, licet exemptæ sint a jurisdictione episcopali. Episcopus igitur, sicut potest limitare tempus, locum et personas, sic etiam casus limitare valet. Sic *Tamb.* — Alii *negant*, quia Monasteria exempta sunt prorsus extra jurisdictionem Episcopi, perinde ac si essent extra territorium. Licet autem Episcopus debeat approbare Confessarios Monialium quoad idoneitatem, non potest tamen iis approbationem limitare; quia expresse dicitur in Constitutione *Clem. X, Superna*, posse ab Episcopo limitari tempus, locum et personam, sed nihil dicitur de peccatis, quæ cæterum pro Monialibus, Prælatibus regularibus subjectis, jam ab iis reservantur.

NOTA. In Gallia, a tempore magnæ perturbationis quæ exeunte sæculo XVIII habita est, non agnoscuntur Moniales quæ jurisdictioni Episcoporum non subiaceant. *Recole dicta in Tract. de Statu religioso, n. 131, etc.*

583. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs. 1<sup>o</sup> EPIMACHUS* potuit absolvi a Confessario suo. Non potuit autem absolvi a Sacerdote sæculari, etiamsi iter faciendo caruisset socio ejusdem Ordinis, quia Confessarius ille jurisdictione carebat ad absolvendum ab illo peccato.

584. — 2<sup>o</sup> Quid de HERIBERTO? Stante controversia superius memorata, damnari nequit, cum jurisdictione relative ad casus reservatos non certo careat. In Gallia tamen, stante præsentis rerum statu, Moniales a peccatis absque speciali facultate absolvi non posset, cum omnes ab Episcopo debeant.

#### CASUS IV.

##### RESERVATIONIS SUBJECTUM 3<sup>o</sup>.

NIGRITUS in diœcesi sua patravit peccatum cui adnexa erat non solum reservatio, sed etiam episcopalis excommunicatio. Paulo post extra diœ-

cesim iter agens, adit Vicarium generalem Episcopi loci in quo consistit, ei conscientiam sincere pandit, atque ab eo absque difficultate absolvitur.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An peregrinus absolvi possit extra diœcesim a censuris episcopalibus, quas in sua diœcesi incurrat?*  
 2<sup>o</sup> *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

585. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1<sup>o</sup> Negative*, si agatur de censuris ab homine per sententiam particularem, ut dicitur in *Tract. de Censuris*.

*Resp. 2<sup>o</sup>* Si agatur de censuris a jure aut etiam ab homine per sententiam generalem, *affirmandum* videtur, stante actuali et communi consuetudine contra quam Ordinarii non reclamant, licet antiquiores communissime negaverint. Videtur etiam erui ex *Conc. Trid.*, quo conceditur Episcopis privilegium absolvi a casibus occultis, et ubi dicitur: *in quibuscumque casibus occultis, ETIAM Sedi Apostolicæ reservatis*. Porro ex particula *etiam*, satis ostenditur comprehendi facultatem absolvi a casibus ab aliis Episcopis reservatis. *Bonacina. — Collet, etc. — V. Comp. n. 582.*

586. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. NIGRITUS probabilis* valide absolutus est, stante controversia quæ in *Quæsito* præcedenti relata est. Ergo non tenetur ad confessionem apud proprium Superiorem iterandam. Proinde culpandus non est Vicarius generalis, a quo absolutus est. Excipe, si sermo esset de censura ab homine, de qua in casu nostro minime agitur.

#### CASUS V.

##### RESERVATIO DUBIA.

LEONARDUS, simplex Confessarius, cum dubia conscientia in sequentibus casibus absolvit: 1<sup>o</sup> BERTAM quæ peccatum in se quidem reservatum commisit, sed cum advertentia dubia; 2<sup>o</sup> CAIAM accusantem peccatum de quo controversia habetur utrum reservatum sit, necne: 3<sup>o</sup> ROSALIAM confitentem peccatum de quo ipse dubitat an in tabella reservatorum jaceat, vel in accepta facultate contineatur.

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An Sacerdos in reservatione dubia absolvi possit licite et valide?*  
 2<sup>o</sup> *Quid faciendum Confessario, si, peracta confessione, dubius sit an jurisdictionem in tale peccatum habeat, necne?*  
 3<sup>o</sup> *Quid de LEONARDO sentiendum?*

SOLUTIO :

587. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Affirm.* 1<sup>o</sup> si dubium sit facti, id est in dubio utrum peccatum fuerit commissum, aut *in se grave*. Ratio est, quia reservatio est strictæ interpretationis. Ergo intelligenda est de peccatis certo

commissis et certo gravibus. Ecclesia enim non intendit reservare peccata, nisi sint certo commissa et certo gravia, cum peccata graviora tantum reservare soleat. *S. Lig. n. 600.*

2° *Affirm.*, etiam *probabilius* in dubio juris, id est, si dubium versetur circa legem reservantem, vel ejus extensionem. Ratio eadem est, nempe quia reservatio est strictæ interpretationis, et proinde in dubio pro nulla habenda est. Ita communiter cum *S. Lig. ibid. et aliis multis contra paucos*, v. g. *Antoine, Concina*, etc.

588. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1° Si dubitet an peccatum sit reservatum de jure vel facto, absolvere potest, juxta modo dicta. 2° Si vero dubitet an illud peccatum sit in catalogo reservatorum, vel in litteris quas a Superiore accepit, debet differre absolutionem ad inquirendum. Si autem desint hic et nunc inquisitionis media, et aliqua necessitas urgeat, potest absolvere pœnitentem, monendo ut postea, data opportunitate, alium adeat majori gaudentem potestate, vel ad seipsum redeat, si possit; et interea Confessarius rem exploret, et si facultate careat, illam obtineat, ut pœnitens alia vice absolvi possit.

589. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* LEONARDUS absolvere potuit *licite et valide* BERTAM et CAIAM, prædicto stante dubio, ut dictum est. Potest enim dici: *reservatio dubia, reservatio nulla*, sicut dicitur: *lex dubia, lex nulla*. Quod vero ad ROSALIAM attinet, LEONARDUS diligenter inquirere debuit, ut sciret num peccatum reservatum esset, necne? Si hoc rescire hic et nunc non potuisset, absolutionem ad aliud tempus remittere debuisset, ut inquirere posset. Urgente tamen gravi causa, ipsi mulierem statim absolvere licuit, eam tamen monendo ut reverteretur, vel alium adiret, ut supra dictum est. *Elbel, n. 389. — Lacroix (1).*

## CASUS VI.

### AN SEMPER APERIENDA RESERVATIO?

1° ALBERICUS, Parochus, peccato reservato obstrictus, in celebrandi necessitate versatur, propter frequentiam populi die festo Missam audiri. Non adest præsens alius Sacerdos, nisi PAULINUS ejus Vicarius, qui facultate absolvendi a reservatis destituitur. Quid faciet miser? Neglecta confessione et elicto contritionis actu, ad sacrum faciendum se accingit. Attamen scrupulo motus, Vicarium adit, et sola peccata venialia, relicto mortali reservato, confitetur.

2° ELIGIUS, penes Confessarium pro reservatis approbatum sarcinam peccatorum deponens, omnia peccata lethalia quorum conscientiam habet, et inter alia unum reservatum confitetur, sed alterius reservati inculpabiliter obliviscitur, et insuper, servato affectu ad aliud peccatum mortale declaratum, absolvitur. Paulo post tactus dolore cordis intrinsecus statuit confessionem iterare, eodemque tempore in mentem ipsi venit peccatum

(1) Difficultas in pluribus locis per Statuta synodalia tollitur, jurisdictionem scilicet certo conferendo Sacerdoti in favorem pœnitentis.

illud reservatum, cujus prius non meminerat. Hæc omnia simplici Confessario sincere et dolenter manifestat.

HINC :

QUÆR. 1° *An ALBERICUS ad confitendum fuerit obligatus?*

2° *Quid, si aliud mortale non reservatum habuerit?*

3° *An peccatum reservatum in confessione reticere potuerit?*

4° *An ELIGIUS a simplici Confessario directe potuerit absolvi a peccato reservato in confessione sacrilega accusato, et ab alio in confessione ex oblivione omisso?*

SOLUTIO :

590. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Nego probabilius*, quia ad confessionem non tenetur, neque ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium, quæ non sunt materia necessaria confessionis. *S. Lig. n. 265, etc.* Sed ALBERICUS tenetur ad contritionem perfectam eliciendam, et si de ea dubitet, ad confessionem obligatur.

591. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* In hoc casu confiteri omnino tenetur, quia urgeret præceptum divinum præmittendi confessionem Communioni, et nulla excusatio a præcepto confessionis daretur. Ita *communissime*, inquit *S. Lig.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæ. Affirm.* Ratio est, quia peccatum reservatum, ut jam dictum est, a simplici Confessario remitti nequit. Ergo ALBERICUS potuit sola venialia accusare, et peccatum reservatum reticere, quin integritatem confessionis violaret. *Recole dicta supra de Eucharistia, cas. 13, ad 3<sup>m</sup> Quæ. n. 286, et cas. 14, n. 288 in nota.*

592. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* 1° Quoad peccatum reservatum in confessione sacrilega accusatum: *probabiliter* absolvi potuit ELIGIUS a reservatione, licet sacrilege ob defectum contritionis confessus sit. Ratio est, quia reservatio principaliter ad hoc ordinatur ut peccata Superiori deferantur; atqui ELIGIUS peccatum reservatum Superiori detulit, licet valide absolutus non fuerit. *S. Lig. n. 598.* Ergo satis erit, si apud simplicem Confessarium iteret confessionem.

2° Quoad peccatum reservatum in confessione ex oblivione omissum, *probabiliter* etiam legi reservationis satisfecit. Ratio est, quia recte præsumitur Superior liberare voluisse pœnitentem ab omni vinculo, a quo eum absolvere poterat. *Lugo. — Collet, etc.*, Sed opposita sententia est etiam probabilis. *V. S. Lig. n. 597. — V. Comp. n. 581.*

## CASUS VII.

### ABSOLUTIO A RESERVATIS 1°.

LIBORIUS, simplex Confessarius, a reservatis etiam extra mortis casum absolvit: 1° GERMANAM, quæ secus per hebdomadam in statu peccati mortalis cum magna anxietate permanere deberet; 2° CAIUM, cujus confessionem longam ac difficilem exceperat antequam reservationem cognosceret; 3° GERUNTUM, senem, qui accedit ad confitendum ultima die temporis